

B. H. II, 343.

h. 672. JURIS ROMANI  
DISTINCTIONEM

INTER

D O T E M  
ET  
PARAPHERNA  
FORIS GERMANIAE  
NON ESSE ACCOMMODANDAM  
CONTENDUNT

ET SUAM SENTENTIAM  
ILLUSTR. FACTORUM ORDINIS CONSENSU  
AD D. XXIX. SEPT. MDCC. XXIX.  
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTUNT

P R A E S E S  
D. CAROLUS GUILIELMUS  
GÆRTNER

ET  
RESPONDENS  
JOHANNES HENRICUS KÜNZEL  
DRESDENSIS.

L I P S I A E  
LITTERIS IO. HEINRICI RICHTERI.



IIk  
530

xx  
92

JURIS ROMANI  
DISTINGTIONEM

INTER

DOTE M

TH

PRAEAPENDRIA

FORIS GERMANIE  
NENESSE ACCOMMODANDAM

TISSUS

IN PRAEAPENDRIA  
MURATI A DEDICATI  
CA D TUTT SITI

RENDITUR IN PRAEAPENDRIA  
PRAEAPENDRIA

U CAGDAG QHEDWES

Q HEDWES

TH

PRAEAPENDRIA

JOHANNES HENRICUS LUDVICO

DRESDENENSIS

1748

LIBERARIJ O HENRICI RICHTERI



POTENTISSIMI  
REGIS POLONIÆ ET ELE-  
CTORIS SAXONIÆ  
IN CONSILIO  
MURERUM CAMERALIUM  
METALLICARUM  
PERILLUSTRI ATQUE EXCEL-  
LENTISSIMO  
VICE - PRÆSIDI  
NEC NON  
ILLUSTRIBUS, EXCELLENTISSIMIS,  
AMPLISSIMIS  
CONSILIARIIS  
DOMINIS SUIS ATQUE  
FAUTORIBUS  
ÆTATEM DEVENERANDIS

FOTENTISZIMI  
RHOS POLONIE ET ELL  
COTRIS SAXONIE  
LEVE HOCCE  
ACADEMICORUM STUDIORUM  
SPECIMEN  
TANTORUM NOMINUM  
GRATIAE CONCILIANDÆ  
ERGO  
ET IN SUBMISSÆ DEVENERATIONIS  
SIGNUM  
SACRUM ESSE  
VOLUIT  
JOHANNES HENRICUS KÜNZEL.



JURIS ROMANI DISTIN-  
CTIONEM INTER DOTEM ET  
PARAPHERNA FORIS GERMANIAE  
NON ESSE ACCOMMO-  
DANDAM.

§. I.

**J**uris Romani principia legibus  
ac moribus Germanorum non  
ubique esse applicanda, cor-  
datiores Jcti & patrii juris  
studiosi jamdudum agnove-  
runt. Interim varias rerum  
actionumque divisiones, legibus Romanorum  
inventas, magnæ in Scholis Doctorum hodie-  
adæ

A 3

num

6 DISTINCT. INTER DOT. ET PARAPH.

num esse autoritatis, & quoad effectus in applicatione ad mores nostros multum illis tribui, nostra satis probat ætas, & methodus plerisque usitata Jurisprudentiam in Academiis docendi. Ast hinc illa confusio juris patrii & exoticorum, hinc illa difficultas patrias consuetudines a Romanis institutis separandi, cum juris hujus peregrini infelix admixtio inextricabiles certe difficultates magnamque incertitudinem non possit non producere, & id efficiat, ut, si legum studiosi ad vitam, quam practicam vocant, accendant, otiosam plerumque inveniant eam Jurisprudentiam, quam in Doctorum Collegiis tanto studio addidicerunt. Rem pluribus exemplis probare animus non est. Possent namque varia adduci, ubi e. gr. Romani in pacta & contractus, inter tutorem & curatorem, pupillum & minorem, distinguunt, quorum omnes inventæ divisiones parvum aut nullum nostris in foris usum præstant. Vera nos dicere ii optime intelligunt, qui in eruendis & separandis genuinis Juris Germanici fundamentis operam navarunt. Nobis sufficiat in præsenti ejus notæ distinctionem Juris Romani proferre, & Academica dissertatione illustrare, quæ ita in foro peræque a scholas longa loquendi consuetudine recepta est, ut facile quamplurimos invenias, qui de ejus utili applicatione ad mores Germaniæ vel saltim dubitare nefas putant, ita autem constituta esse a nobis

nobis reputatur, ut nullum prorsus usum in Germania, præprimis autem Saxonie foris non solum non præstet, sed & si in causarum decisione adhibeat, confusionem inducat. Est autem illa distinctio, de qua nobis sermo est, & quam ex Germania judiciis in perpetuum relegandam esse existimamus, Juris Romani divisio inter dotem & uxoris bona paraphernalia; cuius abusum sequentibus accipe.

## §. II.

Hæc bona uxorum jure Romano dividi in dotalia, paraphernalia & receptitia, communis est Doctorum formula: Ast receptitiorum & paraphernalium bonorum contradistinctionem ex malo legum intellectu promanasse, atque Romanis prorsus incognitam fuisse, jam alii dudum observaverunt Viri erudit, quos inter HUBER. in Prael. de Juri. dot. §. 15. & PERILLUSTR. BERGER. in diss. de discr. bonor. unor. §. 34. Vocabulum quidem receptitii in l. 31. §. 2. de mort. cauf. donat. reperitur, ast de dote receptitia pronunciatur, quæ talis erat, quam post mortem uxoris reddi sibi dotem constituens a marito stipulabatur, atque vano ausu, ad vindicandam hanc receptitiorum speciem, provocatur ad

l. 8.

### § DISTINCT. INTER DOT. ET PARAPH.

I. 8. Cod. de pacl. convent. utpote quæ novum genus bonorum uxorialium non introduxit, sed solum paraphernalium naturam ex parte interpretata est. Illud forte dicendum erit, Romanis receptitia & paraphernalia una eademque fuisse, ut exemplis ex legibus adductis probat BRISSON. de Verb. sign. verb. Recipere. & quæ Græcis dicebantur παρεπέγμη, Latinis dicta fuisse receptio. Certo igitur certius est, Romanos uxorum bona unice considerasse vel ut dotalia, vel ut paraphernalia, horumque diversa jura constituisse, quæ maximam in Républica Romanorum introducebant differentiam circa dominium, usumfructum & administrationem maritorum.

### §. III.

Ad majorem rei intellectum ut utriusque juris, dotum & paraphernalium naturam & differentiam apponamus necesse est. Dos igitur est bonorum quantitas, seu id quod datur marito ad sustinenda onera matrimonii, l. 7. pr. 1. 56. §. 1. ff. de jur. dot. sive ipsa mulier, sive extraneus, sive pater dotem constitutus; inde enim dotis divisio in profectitiam & adventitiam habetur, l. 5. ff. cod. Jura autem dotis potissimum ea sunt, quod dos constituatur per traditionem marito

marito factam, cum possessio marito traditur  
*l. 5. in f. ff. solut. matr.* Dein, quod maritus  
dote tradita dominus ejus efficiatur, cuius rei  
non solum luculentissima prostant in legibus  
testimonia, sed & CICERONIS loco in Topic. IV.  
firmantur, ubi: Cum mulier viro in manum  
convenit, omnia, quæ mulieris fuerunt, viri  
sunt dotis nomine. Hinc marito pleno jure  
rerum dotalium vindicatio competebat *l. 9. & u.*  
*C. de jur. dot.* Servus dotalis jussu mariti tan-  
quam domini hæreditatem adire poterat, mari-  
toque eandem acquirebat, *l. 58. ff. sol. matr.*  
& qui reliqui erant dominii plenarii effectus.  
Erat autem hoc dominium regulariter tempo-  
raryum, sive revocabile, id est, soluto matrimo-  
nio exspirabat, & dos restituenda erat *l. 6. proem.*  
*ff. de Jur. dot. & tot. tit. ff. solut. matrim. dos*  
*quemadm. pet.* Imo durante matrimonio du-  
plex rei dotalis dominium adesse præsumebatur,  
unum marito, alterum uxori competens, hoc  
naturale vocat *l. 30. C. de jur. dot.* illud contra-  
distinctionis ergo civile nominant JureCon-  
sulti. Item fœminarum dominium durante  
matrimonio dicitur esse quiescens, soluto revi-  
scens. Cujus rei causam legum subtilitati at-  
tribuit JUSTINIANUS in cit. *l. 30.* quod  
transitus rerum dotalium in patrimonium ma-  
riti videatur fieri. Et propterea quod in una  
eademque re, uno tempore & in solidum duo-

B

rum

rum dominium fundatum esse nequeat, omnem  
hanc dominii in re dotali viri & uxoris concurren-  
tiam, fictionibus juris, & recte, adscribere non  
dubitavit ALTESERRA de fid. jur. cap. 24.  
tract. prim. jung. MAR. in Parat. de jur. dot. p. 397.  
Effectus hujus condominii potissimum in eo se  
exerunt, quod maritus quidem fructus omnes  
naturales, industrielles & civiles, constante ma-  
trimonio, lucretur, accessiones vero, quæ fru-  
ctuum nomine non veniunt, ut partus ancillæ  
*I. 10. §. 2. de jur. dot.* ac thesaurus in fundo dotali  
inventus *I. 7. §. 12. de fund. dot.* quasi res in ali-  
eno inventa, dotem augeant. Item res dotales  
immobiles, nisi æstimato venditionis causa in  
dotem datae sint, maritus nullo modo alienare  
potest, ne quidem consentiente uxore, *pr. Inst.*  
*quib. alien. lic. & I. un. §. 15. C. de Rei ux. Act.*  
quod ex natura hujus negotii fluit, dum mari-  
tus ob revocabile, mulier ob quiescens dominii  
um agere & libere disponere nequeunt; quam-  
vis & aliam hujus prohibitionis causam afferant  
leges, nempe, ne mulier, soluto matrimonio,  
indotata supersit. Inter jura quoque dotis re-  
ferebatur olim, quod dos, soluto matrimonio,  
si adventitia esset, mulieris propria maneret,  
profectitia autem illi communis esset cum patre,  
in cuius potestate erat, *I. 2. ff. söl. marr. & jure*  
antiquo adventitiam quoque dotem patris &  
filiae communem fuisse, probat CUJACIUS  
*apud. Ulpian. tit. de dotibus.*

§. IV.

§. IV.

A bonis dotalibus, ut dictum est, secernebantur bona uxoris paraphernalia, sub quo nomine omnia ea comprehenduntur, quæ in dotem non dantur, & sunt res uxoriae extra dotem constitutæ, ut vocantur in *I. pen. pr. ff. ad L. Falc.* Hartum rerum certe longa diversa erat natura a dotalium conditione. Namque quod primarium erat dotis jus, dominium nempe in mariatum transiens, paraphernalium naturæ adversabatur, & uxor dominii jus mordicus in his retinere censebatur. Ergo nec parapherna maritis erant tradenda, quod tamen in dotis constitutione potissimum observabatur. Interdum quidem uxor Romana viro cautiones sive nomina tradidit, ut paraphernorum tamen duntaxat nomine apud ipsum remanerent, quod propterea dotalibus instrumentis adnotabatur, & alium effectum non producebat, quam ut maritus accepisse videretur mandatum usuras & sortem exigendi. Id quod etiam in reliquis uxoris rebus paraphernalibus aliquando observabatur, ut administrationi mariti concederentur. Sed nuda erat administratio, quæ marito hinc inde competebat, quare ad reddendas uxori rationes obligabatur, arg. *I. pen. ff. ad L. Falcid.* Usumstructum non retinebat, sed in rem uxoris præcise convertere tenebatur, cit. *I. pen. ff. ad L. Falcid.*

Falcid. quem JUSTINIANUS in *l. fin. C. de pac*l*. conv.* aliquodammodo in mariti utilitatem simul extendit. Imo liberum erat uxori, si vellet, omnem viro prohibere administrationem & sibi reservare eandem *l. 8. C. de pac*l*. convent.* quæ etiam, si jam concederit marito administrandi potestatem, mandatum revocare non prohibetur. *cit. l. ult. C. de pac*l*. conv.* Atque hæc forte recentioribus interpretibus ansam præbuerunt introducendi receptitiorum speciem, de qua in *§. sup. 2.* egimus, quæ, si ita sumeretur, ut non speciem contradistinctam paraphernalibus constitueret, sed ejus subdivisionem, admittenda forte esset, nempe, ut diceretur, parapherna esse vel administratoria, intuitu mariti, vel receptitia, intuitu uxorius. In paraphernalibus autem, cujuscunque generis sint, liberam disponendi facultatem mulieri competere, ita, ut irrequisito mariti consensu possit alienare, inter vivos & mortis causa, quilibet ex natura eorum colligere poterit. Inde regula vulgaris eruta, quod bona marito illata in dubio habeantur pro paraphernalibus, non dotalibus; item, quod mulier adultera marito dotem, non parapherna, relinquere teneatur.

### §. V.

Jam quid de bonis mulierum viris junctarum, exhibeant mores Germanorum, tum antiquo-

quiiores, tum recentiores, indagandum erit. Ab antiquissimis temporibus uxorem non marito, sed hunc illi dotem obrulisse, testis est TACITUS de moribus Germ. cap. 18. Et forte TACITUM verbo dotis ibi non alio sensu usum esse, quam quo Romanorum loquendi formæ se accommodaret, exinde colligendum est, quod olim uxores emerentur a viris, certumque pretium emtionis constitueretur inter sponsum sponsaque parentem, CCC. vel DC. solidorum, uti apparet ex *lege perantiqua Saxonica* tit. 6. ap. LINDENBR. in Cod. I.L. antiqu. p. 476. quod forte dotis nomine exprimere TACITO l.c. placuit. De hac emtione vid. ILLUSTR. GUNDL. de emtion. uxor. Dote & Morgeng. Illo itaque tempore, quo uxores emebantur, nec patrem uxoris nec uxorem ipsam dotem constituisse vel dixisse per se liquet, cum alias emptione, & pretii solutione a parte mariti opus neutiquam fuisset. Eodem quoque & subsequente ævo filiabus nullam hereditatem sive a patre, sive a matre reliquam fuisse, eadem habet antiqua Saxonum lex apud LINDENBR. tit. 7. cap. 1. & non solum Saxones, sed etiam Germanos omnes indistincte olim successionem foeminarum ignorasse, fuisus ostendit ab EYBEN in Elect. Feud. coroll. 2. & 3. post cap. 6. quare tunc temporis sive dotis nomine ad maritum nihil pervenire, sive paraphernalium titulo ad mulieres pertinere

tinere potuisse facillimæ probationis est. Et  
 certe, si vel parentes filiabus, vel fratres sorori-  
 bus matrimonium ineuntibus aliquid concesse-  
 runt & dederunt, quod factum interdum, &  
 ejusmodi donationes Phaderphium, quasi **Va-**  
**ter-Vieh**, nominatas fuisse, ostendit SCHILT.  
*in Exerc. 36. thes. 68.* illud tamen ex mera libe-  
 ralitate processit, & dotem neutiquam consti-  
 tuit. Unde factum est, ut mariti apud veteres  
 Germanos non solum propriis sumtibus onera  
 matrimonii soli sifferre, sed etiam, quo vidua  
 post mortem mariti haberet, unde se exhiberet,  
 eidem partem bonorum relinquere tenerentur,  
 in primis, cum foeminae, si fides habenda TA-  
 CITO *l. c. cap. 19.* olim ad secundas nuptias non  
 transirent. Licit forte ex his originem portio-  
 nis statutariae inter Germaniae gentes hodie po-  
 tissimum in successione uxorum usitatæ dedu-  
 cere. Procedente tempore foeminae tandem ad  
 successionem in bonis parentum admissæ, initio  
 quidem non nisi deficientibus masculis, post in-  
 distincte & cum fratribus aliisque agnatis simul:  
 De priori forma foeminarum succedendi haben-  
 tur LL. RIUAR. *cap. 56.* & LEX SALICA  
*cap. 62.* quibus nempe in terra Salica ac bonis avi-  
 ticiis, extincta mascula sobole, foeminis suc-  
 cessio relinquitur. conf. ECCARD. *in. not. ad*  
*L. Salic. p. 106.* & HENR. a COCCEJI *in Orat.*  
*de Terr. Sal.* & *in Hypomn. Jur. feud. tit. I.* qui ea  
 de

de successione allodiali interpretatur. Posteriorum sucedendi methodum ab antiquis ad nos perducti mores satis probant, & hodie in successioneibus allodialibus ac hereditatibus nullum inter foeminas & mares discrimen ponit, omnes peraque scimus. Sistuntur igitur nunc nobis foeminae in Germania rebus patrimonialibus gaudentes, & fundo veluti instructae, unde dotem sumere & dicere potuissent. Sed errant a scopo, qui quicquam dotis nomine hoc rerum situ datum ac foeminis vel paraphernorum titulo retentum ab iis presumunt. Contrarium testantur mores perantiqui Germanorum, quibus communio bonorum inter conjuges introducta fuit, cuius vestigia hodiernum in plerisque Germaniae, in primis Saxoniae provinciis reperire licet. De hac communione bonorum conjugali inter alios egerunt fuse satis JOH. HEESERUS *in locis commun. de honor. commun.* NICOLAUS HENELIUS *de commun. bon.* qui liber ejus tractatui de jure dotalitii junctus est, & ABRAH. a WESEL *de connubiali honor. soc.* Textus quoque rem clare probantes exhibent nobis JUS PROV. SAX. L. 1. art. 31. Mann und Weib haben nicht gezwingt Guth bey ihrem Leben, pro quo male legitur *in Edit. Zobel.* zu ihren Leibe, & SPEC. SUEV. art. 46. ejusdem temporis. Originem hujus communionis alii aliunde petunt, nobis placet tandem a tutela legistica

tima maritorum in uxores earumque bona deri-  
vare. Quam tutelam jam olim in Saxonia ob-  
tinuisse, compertum habemus ex *sæp. cit. Leg.*  
*Sax. ap. LINDENBR. tit. 7.* & maritos ean-  
dem retinuisse, medio Germaniæ ævo, addisci-  
mus ex *JUR. PROV. SAX. cit. art. 31. L. 1.* ubi: Wann  
ein Mann ein Weib nimmt, so nimmt er in seine  
Gewehr alles ihr Gut zu rechter Vormundschafft,  
uti lectionem in *Zobel. Edit. ex parte aliam, re-*  
*stituimus ex Cod. veteriss. Bibl. Acad. & in fine*  
*eiusd. art.* der Mann mag an seines Weibes Gut  
kein ander Gewehr gewinnen, dann als er zu dem  
ersten mit ihr empfing in Vormundschafft, nec  
non *L. 3. art. 45.* der Mann ist auch Vormund  
seines Weibes, zu Hand als sie ihm getrauet wird.  
Hæc igitur tutela necessitatem introduxit inse-  
rendi bona ab uxore, quæ alias nisi tradita essent,  
in tutelam recipi non possent. Ex hac necessi-  
tate porro fluit communio bonorum, nam suis  
propriis bonis uxoralia admiscere omnimodo  
licuit marito, ad separatam enim administratio-  
nem eum nullæ leges compellunt. Neque ta-  
men communio illa ad regulas, quas jura civilia  
de societate ponunt, est dimetienda, uti optime  
observavit *MEVIUS ad Jus Lub. Tit. 5. art. 5.*  
*Lib. 1. p. 169.* & *WESEL. cit. tract. 2. c. 3. n. 52.*  
Quin potius si societatem nominare vellemus,  
esset permaxime inæqualis, nam vice versa uxori  
tutela non datur in bonis mariti; maritus vi-  
hujus

hujus tutelæ administrat bona mulieris, vi domini propria bona, ergo nulla administratio feminæ relicta; Marito competit ususfructus in bonis illatis uxoris privative, uxor non utitur aut fruitur bonis mariti. Ut igitur, rem si recte perpendimus, vix dubitare possumus, quin hæc communio, durante matrimonio, ita sollempmodo interpretanda sit, ut soli marito jus competit res uxorias cum suis communes habendi, uxori non æque, utpote, quæ effectus hujus communionis non nisi soluto matrimonio, marito nempe mortuo, alicubi sentit, dum diuidiam bonorum a marito relictorum, ex hujus vel illius municipii statuto percipit.

## §. VI.

Constatre poterit ex hac perbrevi, genuina tamen bonorum uxorialis historia, nullam unquam vel dotis vel paraphernorum in Germania habitam fuisse rationem. Quæris, quo nomine tandem insignienda veniant hæc eadem uxorum bona? uno verbo res exprimenda erit, nempe bona uxorum dicuntur illata, germ. Eingebrachtes Guth, der Frauen Eingebrachtes, das Einbringen, sive, was die Frau zum Mannen gebracht, quorum natura ea est, ut in legitimo quidem dominio uxor, durante matrimonio, permanere censeantur, sed ita in tutelam mariti

C trans-

transeant, ut penes ipsum eorum administratio & ususfructus sit; Soluto autem matrimonio vel mulieri sint restituenda, vel uxore ante maritum mortua, mobilium heres sit maritus, immobilia ad legitimos perveniant heredes. JUS PROV. SAX.  
*L. 1. art. 31.* Stirbet das Weib bey des Mannes Leben, sie vererbet keine fahrende Habe, denn allein Gerade und Eigen, als sie das hat auf den nächsten, quibus verbis addit *Edit. hujus Juris Losanna:* Die Frau bringt ihre fahrende Habe auf den Mann, und ihre Eigen auf den nächsten Erben & *libr. 3. art. 74.* Man soll der Frauen auch wieder auflassen und geben, was sie zu ihren Manne bracht, oder als viel von des Mannes Guthe, als ihr gelobet ward, da sie zusammen kamen. Atque horum illatorum una eademque semper fuit conditio, & majores nostros nullam hac in causa admisisse distinctionem optime docuit SCHILT.  
*Exerc. 36. §. 77. seqq.* & compendiose illustravit PERILLUSTR. BERG. in cit. dissert. de discrim. honor. uxoris §. 17. nempe in usu fuisse Saxonibus vetustissimis, itemque omnibus gentibus septentrionalibus, antequam Jus civile ad ipsos pervenisset, omnibus uxoris bonis, unam eandemque tribuere naturam, quandoquidem ignaros prorsus dotalium, paraphernalium, ac receptitiorum bonorum, sibi istud asseruisse jus, ut marito in omnibus bonis, quæ uxor inferebat, sive tempore nuptiarum, sive postea, competenter administratio & ususfructus.

J. VII.

## §. VII.

Videamus tamen, an hæc de uxorum bonis, Germanis illata dictis, adducta descriptio, uni vel alteri speciei Juris civilis Romani, vel doti vel paraphernis appropriari possit, qua in re celeberrimos alias JCtos, infelici tamen successu, deducasse cernimus, dum novis distinctionibus, limitationibus & exceptionibus, moribus Germaniae peræque ac legum civilium menti nullo modo correspondentibus, ad evincendum exoticæ doctrinæ in nostris foris usum modernum, & demonstrandam distinctionis utilitatem inter dotalia & paraphernalia, sunt usi. Nos certe neutri conceptui, sive de dote, sive de paraphernis formetur, illatorum naturam accommodare studebimus, cum persuasissimum habeamus, nec uni nec alteri convenire. Primo enim, quod dotem attinet, cuius essentiam juraque *supra* §. 3. exposuimus, primarius illius effectus erat, ut quicquid dotis nomine constituebatur, jure dominii ad maritum pertineret. Ast de illatis aliis sentiendum esse, ex s. *præc.* & *super.* s. poterit apparere. Mulier enim bona inferendo, ea solummodo tutæ mariti subministrat, & sicuti tutela a dominio longe diversa est, & tutor rerum dominus non sit, ita nostro jure maritis in bonis uxorum dominium aliquod neutiquam adscribi potest. Pari ratione corruunt ea, quæ

C 2 jure

jure civili de naturali foeminarum in dote domino proponuntur, cum moribus Germanorum uxor non naturale & fictitium, non quiescens, & reviviscens, sed civile & naturale simul, plenum, verum, non interruptum & perpetuum dominium, vel si mavis stylo Juris civilis rem exprimere, proprietatem, ob usumfructum mariti, in illatis habere intelligatur. Jus civile ad dotem constituendam certæ quantitatis determinationem requirebat, inde enim quid dotis, quid paraphernorum nomine venire deberet, clarum reddebatur. Jure Germanico foemina indeterminate, quicquid in bonis habet, infert, & nisi pactis aliter cautum sit, marito utendum relinquit. Dotem vel pater, vel extraneus, vel ipsa mulier constituebat; mulierem hodie amplius dotem non dicere dictum est, si pater vel extraneus constituebat, marito dabat, tradebat, & si dos esset solum promissa, pariter marito promittebatur & stipulabatur, id enim siebat ad sustinenda matrimonii onera. Nostris moribus, si matrimonii causa a patre vel extraneo aliquid exhibetur, erit donatio ad filiam vel mulierem directa, quam postea haec in domum mariti infert, haec enim si non ex rei natura, ex vulgi ratiem sermone addiscimus, ubi non dicunt: **Der Schwieger-Vater giebt seinem Schwieger-Sohne 1000. Thlr. mit, sed ita: der Vater giebt seiner Tochter 1000, mit, sive zur Aussteuer.** conf.

HUBER.

HUBER. in *prefect. de jur. dot.* §. 18. Apparet etiam discrepantia Juris Romani & Germanici in effectu hujus donationis, ubi Jure Romano, soluto matrimonio, dos profectitia vel indistincte ad patrem pertinebat, filia nempe mortua, vel ea superflite, communis erat inter patrem & filiam, aut si adventitia esset, vel uxori, vel ejus heredibus restituenda erat. Quid juris sit circa illata, §. præced. attulimus, nempe hodie pater vel extraneus, nisi specialiter sibi prospexerit, inferendorum nomine filiæ data non repetit, sed vel illata manent penes uxorem, quasi donationis causa, TITIUS in *Jur. priv. L. 6. c. 4. §. 5.* marito mortuo, aut matrimonio dissoluto; vel maritus eadem, uxore mortua, si mobilia sint, omnia, si immobilia, pro parte lucratur. Fallit quoque Juris civilis regula in dubio bona uxoris pro dotalibus non haberi, hodie enim præsumtio pro illatis militat. Item Jure civili nec consentiente uxore fundus dotalis alienari poterat, immobilia autem ab uxore illata, ea consentiente hodie valide alienantur, cum plena rerum sit domina. Ut igitur nihil prorsus remaneat, quod de dote ejusque natura & essentia inter Romanos obtinebat, ut bonis illatis ab utoribus hodie possit applicari. Quare, cessante rei essentia, rem ipsam cessare, dictu necesse est.

## §. VIII.

In paraphernorum & illatorum comparatione idem dicendum erit. Etsi enim illata magis accedant ad paraphernalium quam ad dotis naturam, ex eo tamen colligendum non est, parapherna Romanorum & illata Germanorum uno jure censeri, aut una eademque esse, uti ex nimia Juris Civilis sectatione, in hanc sententiam abire non dubitavit HUBER. in *Prælect. de Jur. dot. cit. §. 18.* Contrarium patet ex his, quod parapherna non nisi ad contradistinctiōnem dotis eo nomine erant insignita, & dote non existente, nec parapherna adesse intelligebantur, Φέγν enim & παραΦέγν sunt dos & præter dotem, quod eo usque veteribus Romanis probatum erat, ut quemquam indotatam uxorem ducturum esse, non præsumeretur *I. ult. §. 1. ff. que in fraud. cred. & indignissimum esse, mulierem indotatam duci, & fructum dotis ab oneribus matrimonii separari, judicet I. n. ff. de pacl. dot.* Illata vero, dote non constituta, per se subsistunt, ut ex antea dictis intelligere facile est. In Paraphernalibus liberum erat uxori Romanæ, utrum ea mariti administrationi submittere, aut ipsa administrare vellet; Illata jure tutelæ, matrimonio contracto, necessario viri administrationi sunt relinquenda. Si jure Romano mariatus rerum paraphernalium administrator esset,

ad

ad rationes uxori reddendas præcise tenebatur, nostro jure nullo modo eo adigitur. Nam, quod illo jure maritorum administrationi inerat, ut scilicet usibus uxoris suscipienda esset, juribus hodiernis cessat, cum quicquid uxoris est, nisi pacto expresso aliter cautum sit, marito utendum fruendum concedatur. *Ibid.* EYBEN. *de jur. paraph. s. 7.* in primis Jure Saxonico maritus usufructu in omnibus bonis uxoris gaudet, *vid. COLE. decif. 51. n. 3. & RAUCHBAR. P. 7. qu. 2.* *n. 45.* quod jus utendi fruendi marito vi tutelæ in bonis uxoris competere, non male colligunt juris germanici peritiores, quibus notum omnem fere tutelam in Germania antiquitus fuisse usufructuarium, cuius exemplum occurrit in domino directo, vasalli impuberis tutori, *JUR. FEUD. SAX. cap. 26.* quare recte judicavit Beat. BEYER. *in spec. Jur. Germ. L. 3. cap. 10. s. 14.* quod potestas erat apud Romanos, id Germanis constanter appellatur *Vormundschafft*, quæ penes patres, maritos & tutores plane eadem fuisse, & in Jure ususfructus atque obligatione alterum aleandi constitisse videtur. Et vocabulum *Vormund* & *Vormundschafft* laxiorem pati interpretationem, cognovit quoque COLE-RUS *in dec. 66.* Ex quibus per se patet, facultatem alienandi, oppignorandi, donandi uxori Romanæ in paraphernis competentem, mulieri Germanicæ, potissimum Saxonicæ, si per actum inter

ter vivos alienare velit, prorsus esse adenitam in illatis. Ut ergo pari modo concludendum sit, nullam inter paraphernalia & illata instituendam esse æquiparationem, & longe diversa utrorumque jura, imo & naturam ac essentiam esse.

## §. IX.

Cum igitur ex dictis liquido constare debeat, neque dotis neque paraphernalium appellationem illatis uxorum in Germania satis convenire, illud quoque necesse est concedere, neque distinctionem juris Romani in dotalia & paraphernalia, iisdem bonis illatis congrue accommodari. Res clarius redditur, si ea hoc in memoriam revocentur, quæ *super. §. 6.* hunc in finem adduximus, nempe nullo discrimine posito, cuncta bona uxorum communi titulo appellari, uno nomine venire: *Was die Frau dem Manne zugebracht.* MEV. *ad Jus Lub. L. 3. tit. 1. art. 9.* Ergo nulla est illatorum divisio, ergo tanto minus Romanorum distinctio in subsidium vocanda. Uno jure censentur quilibet uxorum illata, sive nuptiarum tempore afferantur, sive post matrimonium contractum uxori cedant. *Supr. cit. PERILL. BERG. l.c.* Etsi non ignorremus, ea bona, quæ tempore nuptiarum inferuntur ab uxore, pro dote, quæ postea accedunt, pro paraphernis a nonnullis, Saxonicas etiam

JCTis

JCTis, haberi, uti cum HARTM. PISTOR.  
observ. 46. & ANTON. FABRO tenet CARPZ.  
P. i. const. 28. def. 88. n. 1. 2. atque quæ eo tem-  
pore inferuntur, quamvis nulla dotis fiat men-  
tio, modo de alia dote non appareat, pro tali  
reputentur, uti pronunciavit FAC. WITT.  
*apud sap. laud.* BERG. *in Oecon. Jur. L. 1. Tit. 3.*  
§. 7. Nam ut taceam, dotis constitutionem  
nullam adesse, cum ipso jure non constituatur,  
sed facti sit, saepe fieri etiam potest, ut sub ini-  
tium matrimonii nihil ab uxore inferatur, plura  
ad eam post initium matrimonium perveniant,  
quid tunc dicendum? forte nunc illatio ad tem-  
pus nuptiarum retrotrahenda erit? Quod certe  
nulli legum rationi responderet. Sed & si mo-  
ribus & legibus Germaniae consentanea esset hæc  
juris fictio, qualis est actum præsentem retrotra-  
here ad tempus præteritum, nonne etiam cun-  
cta, quæ post nuptias contractas ex hereditate  
paterna maternave, aut aliunde mulieri obveni-  
unt, pro augmento dotis haberi possunt? Vi-  
des igitur, quam multæ & innumeræ fere sint  
incertitudines & difficultates, quas inconsulta  
dotium, paraphernalium & illatorum confusio  
parit, quæ nec evitari ullo modo potest, tametsi  
illata pro genere, dos & parapherna pro specie-  
bus ponantur. jung. SCHILT. *Exerc. 36. thes.*  
79. - 88. Et si iis, qui Juris civilis distinctionem  
fovent, omnia concederemus, qualem quæso  
  usum

D

usum hæc distinctio nostris in foris Germaniae præstaret, cum uno jure omnia uxorum bona dirigi jam probavimus, nam ipso jure in illis maritus usumfructum percipit, ea in tutelam recipit, administrat, certa ratione in iis succedit, & quod restat, exinde elucescit, quod in quæstione de prælationis privilegio, quo dos in concursu creditorum donata erat Jure civili, paraphernalia autem bona carebant, decisio nostris moribus, nulla adhibita distinctione, sit suppeditanda, nempe illata omnia, nisi expressa lege vel usu fori, contrarium statuatur, uti in Camera Imperiali observari, fidem nobis facit M Y N S. cent. 5.  
 obf. 4. regulariter & ex generali Germaniae consuetudine prælatione gaudere, cunctaque propteræ tacita hypotheca, sive jure taciti pignoris esse privilegiata. BEAT. BEYER. ad Digest. L. 23. tit. 3. proœm. Adde his omnibus, quod mulier Jure Romano, si adulterii rea & convicta esset, dotem amitteret, non paraphernalia, uti diximus *supr. s. 4.* hodie autem omnium bonorum dispensio puniatur, quicquid in contrarium disputeret CARPZO V. in Prax. Crim. P. 2. Qu. 64. n. 22. & qui ibi allegantur RAUCHBAR. BO CER. WESEN BEC. aliique, admissa enim Juris civilis distinctione inter dotem & paraphernalia, ex suis principiis decidunt.

§. X.

## §. X.

Neque ut sententiam mutemus, & quamquam distinctionem illatorum, quatenus in dotalia & paraphernalia sit, admittamus, movere nos possunt JCtorum autoritates, & quod Juris Romani distinctio hac in parte ex plerorumque Doctorum opinionibus, imo & Judiciorum usu, nunc fere prævaluerit. Nam eam distinctionem, de qua nobis sermo est, per universalem Germaniæ consuetudinem receptam hodie esse, testantur quidem GAIL. L. i. obs. 133. n. 5. & MYNS. L. 3. obs. 53. sed testantur de tali re, quæ in aliis etiam causis, quod dolendum est, sape accedit, nempe de confusione Juris Romani & morum Germanicorum. Et quicquid etiam usu seu potius abusu loquendi in scholas & fora Germaniæ introductum sit, illud tamen non impedit, quo minus genuinam causarum decisionem ex Dicasteriis expectare possimus. Illi idem enim JCTi, qui in Cathedra distinctiones proponunt & applicant, in sententiis tamen designatoris, illata nominant, & nullo adhibito discriminé, jure prioritatis collocant. Causarum patroni, qui in foris disputant, distinctionem paraphernorum & dotis frenue memoria tenent, sed dum juribus uxorum in repetendis bonis prospiciunt, illationem factam esse, probant, parum solliciti de eo, quo tempore, quo facto,

D 2

aut

aut quibus modis contigerit, sed sufficit illis, generalem regulam attigisse, quod illata jure prioritatis gaudeant. Judex forte his omnibus facile subscribit, cum iste quicquid a partibus litigantibus profertur, ad acta recipere, decisioni JCTorum submittere, & sententiæ tenorem ad litteram exsequi tenetur. Ex quibus colligimus, neutquam, quod alii contendunt, consuetudinem legi æmulam adesse, qua distinctio illatorum in dotalia & paraphernalia probetur, & autoritatem recipiat. Consuetudo enim talis, quæ usum præstare & legis autoritatem habere dicitur, aetibus frequentioribus judicialibus debet esse corroborata, quales actus non ex usu loquendi & distinguendi in foris nascuntur, sed ex causarum decisione petuntur & probantur. Jam penes alios sit judicium, ponderatis hisce, an consuetudo in foris recepta, illatorum jura integra conservet & relinquat, an vero iis, distinguendo inter parapherna & dotem, aliiquid detrahatur.

## §. XI.

Posset quidem legum autoritas nobis opponi, & forte a nemine negari extare leges in Germânia, ex quibus fundamenta distinctionis inter bona dotalia & paraphernalia peti possunt, & ut a longinquo talia testimonia colligamus, opus

opus non erit, cum in ipsa *ordinazione Processus nostri Electoratus Saxonici Tit. XLIII.* dispositio clara extat, qua Ehe-Gelder und Heyrath-Büch demjenigen, was die Eheweiber ihren Männern über das Ehe-Geld zubringen, §. 1. & 3. per expressum contradistinguuntur, & diverso jure considerantur. Sed videamus, an ejusmodi leges nostram sententiam stringant, & assertis repugnant. Primo igitur omnem oppositionem hinc quæsitam elidere nobis fas erit, quod particularium Provinciarum in Germania peculiaribus sanctionibus, universis Germaniæ consuetudinibus derogari nequeat. Atque hoc ita verum est, cum nos totam dissertationem de eo, quod mores Germaniæ universæ introduxerunt circa illatorum jura, instituimus, & §. super. 9. circ. fin. jam admisimus lege expressa contrarium statui posse. Sed dimisso etiam hoc argumento, ut in specie de *Jure nostro Electorali* per expressum constituto agamus, apparet ex inspectione constitut. El. 28. P. 1. quod alio tempore aliter sensum fuerit. In citata enim constitutione, quæ agit de Jure prioritatis inter creditores, leguntur sequentia: Und nach diesen soll des Schuldners Eheweib, mit ihren eingebrachten Büch, so viel sie desz erweisen kan, allen andern Gläubigern, so nicht ältere ausdrückliche Verpfändung haben, vorgezogen werden. In dem Gegenvermächtniß aber, hat

D 3

sie

sie sich disfalls der Priorität, den Gläubigern zum Nachtheil nicht anzumassen, jedoch, was der Leibgedinge halber verordnet, bleibt in Würden und Kräften. Hæc itaque verba indistinctam unam eandemque illatorum naturam indicant, & hisce non nisi donatio propter nuptias contradistinguitur, nostramque de illatis propositam sententiam quam maxime confirmant, neque interpretationem, uti quidem CARPOZOVIO ad hanc Conf. def. 86. n. 45. visum est, verba eiusgebrachten Ruth recipiunt ex cit. tit. 43. Ord. Proc. El. Sax. cum ne quidem eo tempore cogitatum fuisse, velle illata distinguere, ex contextu & serie verborum laud. conf. 28. satis abundeque appareat. Et quamvis dici posset, legem posteriorem, qualis intuitu Constitutionis DIV. AUGUSTI est Ord. Proc. DIV. JOH. GEORG. I. priori derogari, non tamen lex derogans derogatam semper interpretatur, nec hoc loco, si ordinationis processualis dispositio ita sumatur, ut divisionem illatorum in dotalia & paraphernalia bona inducat, eandem interpretandæ constitutioni posse inservire, dictam ob rationem ullo modo dici poterit. Nescio præterea, an jure, an injuria agam, si dicere ausim, compilatorem predictæ ordinationis Processualis, qui certe ipse divus Elector non fuit, contra mentem summi Legislatoris, qui forte nihil minus quam novæ doctrinæ hac ordinatione in forâ

fora Saxoniæ introducendæ animum habuit, ex Juris civilis partium nimio studio retinuisse & injecisse distinctionem, quæ in cit. §. 1. § 3. Tit. 43. reperitur. Sed reproto me, cum rem curatius considerando, & verba cit. tit. 14. O. P. S. penitus inspicio, non dotem, non parapherna nominata inibi inveniam, sed Ehe-Geld oder Heyraths-Guth in §. 1. ex una parte, & was aber die Weiber ihren Männern über das Ehe-Geld zu bringen §. 3. ex altera parte posita. Quibus nempe verbis naturalis quædam distinctio instituitur inter ea bona, quæ tempore nuptiarum ab uxore inferuntur, & ea bona, quæ post matrimonium contractum uxori obveniunt; illa prioritatis privilegio in classem creditorum secundam, hæc taciti pignoris jure in tertiam classem collocari voluit *Ordinatio Proces-saria*, quam certe tacitam hypothecam pro ipso prælationis privilegio olim in omnibus uxorum bonis habitam fuisse constitutionibus Electoralibus, colligi potest ex *Conf. El. 24. P. 2.* Et quicquid deinde sep. cit. tit. 43. §. 1. § 3. introductory & constitutum sit, illud unice ad bona uxorum respicit, quatenus intuitu eorum mulier in cursu creditorum existit; Quod reliquum est, nihil in iis mutavit prædicta sanctio, sed jure communi in illatis nos uti procul dubio permisit. Et quid tandem opus est verbis in re nostris temporibus penitus abrogata, ubi nec taciti pi-gnoris-

gnoris, nec prælationis ratio habetur, ubi distinc-  
tio inter bona uxorum tit. 43. O. P. S. E. intro-  
ducta, per Ord. Proc. Sax. Rev. ad eundem titu-  
lum nunc sublata est, demto nempe in uxorum  
bonis prælationis jure & taciti pignoris privilegio.  
Nos etiam non præterit illa Juris Electoralis di-  
spositio, quæ in Conf. El. Sax. 16. Part. II. con-  
tinetur, & qua foeminarum pro maritis interce-  
dentiū obligatio, etiamsi juramento firmata  
non fuerit, valida pronunciatur, modo extra res  
dotales, & in donationem propter nuptias vel do-  
talitium constitutas, procedat. Quibus nempe in  
verbis distinctionem rerum dotalium, aliarum-  
que uxoriaum latere, omnibus apparet. Sed  
qualis erit illa distinctio? non inter dotem &  
paraph. rta, eum in modum, uti quidem CAR-  
PZO V. l. c. distinguit illata, quæ tempore nu-  
ptiarum & post eas celebratas attulit uxor; sed  
inter illata & non illata. Dotem enim in ge-  
nere in laud. Conflit. 16. designare quævis uxorum  
illata, declarant verba ejusdem Conf. so sie dem  
Manne zugebracht oder erlanget, & quorum in-  
tuitu mulieri jus taciti pignoris in bonis mariti  
competit, und also allein in Verzicht eines Uu-  
terpfandes, qualem tacitam hypothecam dem Ehe-  
Gelde & demjenigen was die Eheweiber ihren  
Männern über das Ehe-Geld zubringen, non de-  
negatam reperimus in textu cardinali O. P. S. E.  
tit. 43. §. 1. § 3. quod clarius redditur per verba  
eius-

*eiusdem Confit.* 16. in Verzicht eines Unterpfandes, darauf ein Weib von wegen der Mitgiff oder sonsten Gerechtigkeit haben möchte. Posse autem foeminas quædam ex suis bonis retinere, & marito non inferre, adeoque receptitia constituere, infra in §. *ultimo* a nobis erit adducendum. Et ejusmodi igitur bona receptitia non illata, ea esse, in quibus *dicit.* Conf. 16. uxoris injurata etiam intercessio admittitur, intellectu facile est, ut itaque pari modo tenor *Constitutionis Elect.* nostræ menti non aduersetur.

### §. XII.

Ne tamen quis præsumat, nos in ea esse sententia, ut putemus, fieri non posse in Germania, ut dos constituatur, & paraphernalia bona uxoribus reserventur. Certe utrumque facile concedimus, quoad dotem tamen liceat verba HUBERI in *præl. de jur. dot.* §. 18. nostra facere, ut autem, ait, dos constituatur, fieri posse, non nego, fieri solere, non puto, nec scio, an unquam factum viderim. Germanorum enim pactis ea vis inest, ut, si de re non turpi & inhonesta concipientur, procedant & valeant, quare si uxor Romanorum more vivere, & sua jura ad subtilitates legum civilium dirigere velit, nihil prohibebit, modo, pactis conventis, moribus Germaniæ inter virum & uxorem renunciatum sit. Id quod in constitutione paraphernorum sèpius contingere cernimus. Postquam enim invaluit, mulieres conjugium

E in eun.

ineuntes sibi in parte bonorum pactis matrimonialibus prospicere, ut penes eas remaneat ejusdem partis administratio & ususfructus, bona quoque cœperunt haberi in Germania uxorum paraphernalia, aut potius non illata, illatis omnimodo contradistincta, & receptitia propterea, Germanice Spiel-Gelder dicta, quo & pertinet id genus paraphernorum, der Sparhasen dictum, sive illud uxorum peculium, quod ex pecunia sibi donata, vel aliunde conquærunt mulieres, modo & in ea parte maritus administrationi & usufructui renunciaverit. Sed quis non videt, hæc non ipso jure, sed facto obtinere, in tantum, ut hæc receptitia bona Romanorum paraphernis se in eo contradistinguant, quod paraphernalia ipso jure, Germanorum receptitia non nisi pactis constituantur. Quare nec nostræ sententiae de pari omnium illatorum conditione ullo modo adversari possunt, utpote, qui de eo, quod moribus universæ Germaniæ & ipso jure competit, hactenus locutus sumus. Neque illud unquam ad animum posuimus, ut negaremus, nullam prorsus dari divisionem bonorum uxorialium, quin potius concedimus, varias ejusmodi distinctiones suppeditari posse, quo pertinet in primis illa, Jure Saxonico præprimis fundata, in uxoris illata & res Geradicæ. Atque hæ omnes, si illatorum naturæ convenient, admittendæ sunt, modo non ex Romano-rum distinctione inter dotalia & paraphernalia petantur.

DISSE-

## DISSERTATIONIS CON- SPECTUS.

- §. I. *Juris Romani varias distinctiones, imprimis  
eam, quæ sit in dotem & uxoris parapher-  
nalia, foris Germaniae minus recte accom-  
modari, adducitur.*
- §. II. *De divisione Romana bonorum uxoris in do-  
tem & parapherna, rejecta separata recepti-  
tiorum specie, agitur.*
- §. III. *Jura dotium, earumque essentiam & natu-  
ram exponit.*
- §. IV. *De paraphernorum jure, & quatenus ea a  
dotalibus bonis differant, tractat.*
- §. V. *Mores Germanorum circa bona mulierum,  
& per brevem eorum in Germania historiam  
exhibet.*
- §. VI. *Jure Germanico quelibet uxorum bona  
communi nomine dici illata, atque horum  
unam eandemque esse naturam, ostendit.*
- §. VII. *Quæ de dote ejusque jure legibus Romanis  
traduntur, illatis Germanorum nullo modo  
convenire probat.*

*AK TK 530*


§. IX. Idem de comparatione illatorum cum paraphernis prædicat. Quare

§. IX. Nullam illatorum divisionem, multo minus eam, quæ sit in dotalia & paraphernalia, admittendam esse, concludit.

§. X. Consuetudinem haberi, qua illatorum illa divisio in paraphernalia & dotalia, in Germaniae foras introducta, negatur.

§. XI. Leges Juris Saxonici obstantes in Ord. Proc. Sax. Tit. XLIII. & Part. I. Const. El. 16. considerat.

§. XII. Pactis tamen dotem, imo & receptitia bona, posse in illatis constitui, admittit.



**ULB Halle**

002 694 069

3





Farbkarte #13



B.I.G.  
Black

